

avulsas, subinde vero post felicem earundem revindicationem, Sacrae Regni Coronae reapplicuisset et ad eum statum, in quo ante amissionem Anno 1809. fuerant, reposuisset: Status et Ordines hanc reapplicationem pro sera Posteritatis memoria Legi inferendam decreverunt.

Nulli dubitantes: quaevis hujus Regni et Partium ei adnexarum Tenuta et Partes, tam per Altesatam Suam Majestatem Sacratissimam, quam et Augustos ejusdem Successores, in conformitate Conditionis III. Diplomatis Inauguralis, de toto reincorporandas esse.

*De Causis Civilibus Trans-Savandarum et Maritimarum Partium, coram praeeistentibus Foris Illyricis ventillatis.*

#### Articulus 14.

Ut respectu Causarum Civilium, quae coram praeeistentibus Foris Illyricis ventillatae, necdum definitae sunt, aut definitae, adhuc a revisione pendent, rationi Justitiae, cum commoditate Causantium, majorique temporis et sumptuum compendio, administrandae, uberius consulatur, annuente Sua Majestate Sacratissima statuitur:

§. 1. Omnes Causae Civiles, ante Epocham factae Trans-Savandarum et Maritimarum Partium, Imperio Gallico cessionis, coram legalibus Regni Foris promotae et successive ad praeeistentia Tribunalia Illyrica, demum ad Fora benigne delegata derivatae, quae necdum definitae sunt, ad primaeva legalia Fora, pro ferendo in iisdem secundum Regni Leges Judiciis reinviantur, — decisae autem tam eae, quae in praeeistente Appellatorio Foro revisae, aut necdum revisae sunt, per Partes, Appellatae gradualis beneficio uti volentes, ad legalia revisoria Fora deducuntur.

§. 2. Causae coram praeeistentibus Foris Illyricis incaminatae, quae necdum terminatae sunt, aut terminatae, adhuc a revisione pendent, quoad strictum Causae meritum, secundum dispositionem Legum, illo tempore praevigentium, quo factum, Causae fundamentum constituens, motionique ejusdem occasionem praebens, intervenit, definiuntur; Provisione quoad quaestionem aviticitatis, aut ex Legibus patriis determinandae praehabitorum Jurium indolis, quae se relate ad facta, in tempus, quo Partes hae amissae erant, usque reincorporationem incidentia, evolverent, ad futura Comitata reservata, — forma autem Procedurae et Judiciariae Executiones, normae, per Regni Leges praescriptae, conformabuntur.

§. 3. Causae Partium Trans-Savandarum coram praeeistente Carlostadii Tribunali incaminatae ac necdum terminatae, quae contra Nobiles, aut ratione Bonorum Nobilitarium contra Ignobiles promotae, aut coram Sedibus Dominalibus sub Gallico Regimine, aut intermedio usque effective subsecutam earundem Partium reincorporationem tempore suscitatae fuerant, coram Tabula Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Judiciaria continuabuntur.

§. 4. Causae coram praeeistente Carlostadii Tribunali promotae et necdum definitae, quae inter Cives Liberae Regiaeque Civitatis Carlostadiensis vertuntur, vel extraneis Actoribus, contra gremiales Cives suscitatae fuerunt, ad